

476

474

480

470

485

465

425

375

Ende

Anfang

461

spirans de infantibus membris pueri Jesu, et de castissimae matris ejus corpore derelictus? Forte contigit tibi sicut avarissimo Judae proditori, qui ex suavissimo odore unguenti effusi super caput Jesu, quo tota domus impleta scribitur, magis fuit exasperatus, incensus et commotus usque ad magistri sui venditionem et crudelissimam traditionem. Profecto, suspectum te habeo, quod si tempore trium Magorum affuisse, munera oblata furatus fuisses, et puerum parvulum, matrem tenerrimam, Joseph pauperrimum, sine verecundia et venia spoliasses. Sed quid longius moror, furtum tuum nihil nocet parvulo, quia non tantum jam veniunt ab oriente tres reges semel, sed multi turmatim hue currunt a quatuor mundi plagiis, et cottidie offerunt ea, quae a puero accipiuntur. Nec furtum tuum offerentes merito privat, sicut nec illum, cui furatus es minima, et pietate spoliat, quam exhibet sibi offerentibus, et justam vindictam suo tempore tibi cum caeteris malis conservat. Similem exclamationem invehit Jeronymus contra sacrilegium in eadem ecclesia commissum, in Epistola objurgatoria contra Sabinianum diaconum, seductorem Susannae virginis.

Igitur dum domini milites obtulissent, et donaria numerarent, inventum est adesse furem, et circumspicientes vidi mus illum orientalem, et nullo modo dubitavimus, nisi quod ipse nefas commisisset. Comprehendimus autem eum in sacra spelunca, et perscrutantes invenimus aurum, et coegimus eum ad locum reponere, et hoc facto repulimus eum a nobis. Hoc furtum factum est in mea prima peregrinatione, et in secunda simile contigit per unum Sarracenum, qui nobiscum ingressus fuerat, et ad locum inclinatus tamquam oraturus occulte pecuniam surripuit. Quidam autem peregrini astantes et dolum videntes eum insecuri sunt, et comprehensum in specum sacrum retraximus, plurimum reclamantem et renitentem. Cum magna ergo violentia sibi manus aperuimus, et pecuniam invenimus, qua accepta cum indignatione furem infidelem extra trusimus. In fine ergo locum deosculati sumus, et licentia accepta a sancta puerpera de lacu [loco] ascendimus, et egressi ecclesiam asinos ascendimus, et per viam, quam venimus, regressi sumus in Jerusalem, et ibi prandium

Foto: A. Böckeler